

Bibliothèque numérique

medic@

**Bouriat, Bernard-Felix - candidat /
Pourfour du Petit, Etienne - président /
M. Gourlez de la Motte - auteur. - An à
vasorum auctâ aut immunitâ
Contractilitate omnis morbus ?**

1782.

***Paris : Typis Quillau
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°84***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0084](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0084)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIJ Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

EXTRAORDINARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ mensis

Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXII.

M. STEPHANO POURFOUR DU PETIT, Saluberrimæ
Facultatis Decano, Præside.

An à vasorum auctâ aut imminutâ Contractilitate omnis morbus?

I.



ATURA corporis, inquit Hippocrates, principium sermonis in arte Medicâ. Hinc prout Medicus illam probe noverit, eò facilius causas morborum evolvit & longè tutius ac certius remedia ab experientiâ indicata adhibebit. Hæc prima sunt Medicinæ limina, diù multumque iis terenda, qui ejus adyta penetrare volunt; si quis enim, hujusce cognitionis expertus,

* Propugnavit 13. Januarii 1752, M. GOUVLEZ DE LA MOTTE, Præsidi M. DE MAGNY,

A

Medici nomen usurpat, morbisque vult mederi, haud absimilis est ei qui machinæ cujuslibet fabricæ imperitus, ejus inordinatos motus turbataque organa restituere vellet. Nec ab illâ recedunt sententiâ Medici omnes qui rationalem professi sunt Medicinam. *Neque enim* (a) Lib. *hi crediderunt, ut testatur Celsus (a), posse eum scire quo modo* 1. c. 1. *morbos curare conveniat, qui undè hi sint ignoret. Eum verò dixere curaturum quem prima origo causæ non fefellerit, cum curari id quod ægrum est non possit ab eo qui, quid sit ignoret. Hinc vitæ & sanitatis instrumenta causæque Medico sedulò investiganda. Porro nihil aliud præ se fert humana machina, nisi liquoribus irriguam tubulorum compagem; quamdiù in sese impingunt invicem, tamdiù stat vita: hæc igitur consistit in reciproco solidorum fluidorumque motu ac proindè illius instrumenta solida sunt & fluida. Quænam verò requirantur conditiones in solidis & in fluidis, ut peragatur ille motus, extricare non adeò primum est; rerum enim quæ sunt in corpore, ita abstrusa est indagatio, ut nunquam, nisi à posteriori, valeamus illas detegere; ab effectibus igitur, ut illa pateat veritas, nobis est procedendum: in illo motu videre est vasa extendi & contrahi, necnon, quod maximi momenti est, eorum contractionem ultra æquilibrîi gradum progredi ac proindè fluida hujusce contractionis ope promoveri. Vasa igitur debent esse flexilia simul & contractilia, ut liquida propellantur. Verùm undenam repetenda sit vasorum contractio plurimum ambigitur. Fatemur quidem textum arteriæ esse elasticum; ne credas tamen, ut plurimi, solo ab elatere quo vasa pollent, eorum contractionem esse deducendam. Stat enim inconcussa lex de corporibus elasticis, quod distendi queant, & ubi causa distendens amota fuerit, in pristinum præcisè statum reduci. Proindè si vasorum contractio tantummodò esset elastica, ubi distendi desierint, infra naturalem suam diametrum non contraherentur. Contrarium verò cum sæpè accidat, satis evidentè apparet vasorum contractionem ab elatere solo non esse repetendam. Eruenda est igitur magis illa causa ex fabricâ partium. Vasa duplici constantur partium genere, textu nimirum cellulari & fibris nerveis, quarum extrema prominent in interiori vasorum superficie & tomentum dicuntur. Hanc sententiam de textu vasorum comprobant autopsia experimentis fulcita; 1°. quidem nervos ad vasa propagari, distribui, & illorum compositionem ingredi uno ore fatentur omnes, & ut cæteras omitтам distributiones, nemo est inter Anatomicos qui dissentiat nervos octavi paris ad carotides, ad aortæ principium, & ad arteriam pulmonalem distribui, nervum intercostalem aortæ descendentis nervos satis conspicuos suppeditare; aliundè comprobant experimenta membranas arte-*

3
 riarum nihil aliud esse præter cellularem, maceratæ enim in folia dis-
 cerpuntur; paritèr si leuiusculum tunicis arteriarum vulnus infligatur
 & flamen ope siphunculi prudenter adigatur, protinus instantur illæ
 cellulæ, atque tument. Hinc forsan non immeritò diceres, vasa ex
 nervis efformari, ità ut nervorum integumenta, quæ debent spectari
 tanquàm textus cellularis propriè dictus, in vasorum membranas
 abeant, dum pars medullosa in papillas exurgit in parte internâ
 vasorum: vasa igitur sic constructa, sensilitate donari, & quidem
 satis exquisitâ, perspicuum est. Sensilitas enim, juxtà receptam opi-
 nionem, à nervis præsertim nudis est repetenda; verùm positâ illâ sensi-
 litate, facilè admodum in contractionem rapiuntur vasa; etenim ubi
 primùm aderit causa excitans, villi vasorum convellentur, ac proindè
 vasa contrahentur, & liquida compressa propellent. Modò verò pro-
 bavimus illam vasorum sensilitatem non esse hypotheticam. Cum
 autem illa contractio supponat aliud quo suscitetur, illud nobis est
 inquirendum.

I I.

ALIBI quàm in fluidis, causam, undè solidorum sensibilitas
 in actum deducitur, frustra investigabis; verùm quomodò illud
 fiat, hoc opus, hic labor est. An fluidorum moles? An eorum in-
 doles? quamvis celeberrimus Boërrhaavius litem dirimere videatur,
 dum pronuntiat causam undè sanguis propellitur, in ipsâ mole non esse
 inquirendam; rem tamen altius scrutabimur. Vasorum contractio li-
 quorum mole suscitari nequit, nisi in quantum vasa distendit; verùm
 si exindè deduceretur, vasorum actio foret in ratione quantitatis flu-
 idorum, ac proindè ubi major foret fluidorum quantitas, major etiàm
 foret vasorum contractio: hæc vel illa fluidorum indoles minimè fa-
 ceret ad illam contractionem, quod est omninò falsum; detractâ enim
 in morbis largâ sanguinis copiâ, sæpè fit ut adaugeatur illa contractio:
 aliundè nedum sanguinis copia contractioni faveat, immò sæpissimè
 illam reprimat & sistit: deindè in cachochymicis affectibus, in quibus
 turget ut plurimùm plethora feri, adeò debilis vasorum est contrac-
 tio, ut vix tactu percipi possit. Vasorum igitur contractio non est in
 ratione quantitatis fluidorum, sed in ratione eorum indolis. Mutatâ
 enim fluidorum indole, mutatur & vasorum contractio. Si enim quâ-
 cumque de causâ, acres evadant humores, statim frequentius & vivi-
 dius vasa contrahuntur; minutâ autem fluidorum magis quàm par est
ἐνεργεια, minuitur ad langorem usquè vasorum contractio, quod evi-
 dens est in virginum chlorosi, & in omnibus morbis ab exuperantiâ

A ij

feri. Adde quòd positâ hâc sententiâ experientiæ adèd congruâ, faciliè admodum concipitur vasa tunc contrahi posse ultra æquilibrii terminum. Cum verò singulâ systole non exinaniantur vasa, remanente contractionis causâ, in systole remanent, nisi à violentâ causâ ex illo statu disturbarentur; patet proindè solidorum diastolem à liquidis vi propulsis esse eruendam. His ritè ponderatis, vitæ causæ in aprico collocantur. Vita enim juxtâ nostram hanc sententiam est perpetuum sensationis exercitium, cujus objectum sunt fluida stimulantia, organum verò sunt solida utpotè sensilitate prædita; sed cum ad sensationis cujuscumque exercitium, prævia requiratur impulsio quâ objectum ad organum applicetur; idèd ad vitam constituendam non tantum requirebantur sensationis instrumenta, sed etiâ hujus impulsione instrumentum; quaproptèr supremus Naturæ Conditor in centro vasorum collocavit instrumentum, cor nempe fibris muscularibus contextum, cujus beneficio maximâ vi protrusi liquores perfectè solidis applicantur, undè sensationis exercitium; liquidis enim sic propulsis, vasa extenduntur, sicque sensiliora redduntur, ac proindè activæ fluidorum partes majori cum *ἐνεργείᾳ* impingunt in villosam vasorum substantiam; hinc illorum in fluida reactio. Illud sanè considerantem rapit in admirationem, quod absque novo medio exerceatur illius musculi actio; ut enim stimulis vasorum villis in actum vasa deducuntur, sic nervis cordis, præsentia fluidi contrectatis, suscitatur illius contractio. Sed cum ad aliorum vasorum contractionem contactus liquorum non sufficiat, requiratur autem insuper impulsio fluida solidis applicans, desiderabatur instrumentum quo propulsus sanguis cordi vividè applicatus, illius suscitaret actionem; cor enim non potest esse in seipsum impulsione instrumentum; illud facile patebit attendenti quantum infringatur illa impulsio, dum fluida ex minori in majorem traduntur diametrum, ex arteriis nempe ad venas: idèd videlicet extrema venarum, cordi vicina, fibris instruuntur muscularibus, quarum ea vis est, ut fluida validè propellant in cava cordis, ut illius suscitetur actio; illarum autem fibrarum actionis causa in ipsummet cor, repetenda venit, tum à reliquiis impulsione, liquidis à corde communicatæ, tum longè magis ab impulsione sanguinis, dum corde contracto ex ventriculis in auriculam refluit, & vi satis validâ fibris modò dictis applicatur. Quomodo vita foveatur, satis in propatulo est; dum enim impulsio quâ fluida solidis applicantur, uniformis est & æquabilis, viget sanitas; vasa enim non vividius fluida premunt ac ipsa premuntur, fibræ nec laxitate, nec rigiditate nimia laborant, & fluida donantur temperie; verum statim atque sensationis organum,

5
objecto vividius languidiusve quàm par est, afficitur, tunc in promptu est morbus, sæpè mortis prænuntius: destruuntur enim vel saltèm læduntur sanitatis causæ.

I I I.

QUEMADMODUM in vasorum sensilitate, vitæ causæ debent reponi, sic illam sensilitatem ex fabricâ vasorum repetere, non est incongruum; Zimmermannus (a) enim vasa esse irritabilia contendit, & experimentis suffultus hanc irritabilitatem præcipuè nervis perreptantibus deberi asserit: *in expirante cane*, inquit, *quiescentibus vasis*, *irritatis tùm venosis tùm arteriosis canalibus*, *in parte illorum interiori*, *cum scalpello aut cum oleo vitrioli*, *usque ad tertias illarum diametri sese contraxerunt arteriæ*, *venæ paulò minus*. Cùm illa sensilitas in actum deduci nequeat, nisi quatenus excitetur præsentia corporis stimulantis, & ad cuiusvis sensationis exercitium eadem requirantur, ideò vitalem motum, sensationis exercitium appellare non dubitamus. Illud autèm clariùs innotescet perpendenti, nervos in vasis prominere sub formâ ad sensationem producendam aptissimâ: in parte enim vasorum interiori, sicut & in aliis locis in quibus sensationes sunt exercendæ, nervi sunt molles, pulposi, involucris orbati; adeò autèm necessaria est ad motum vitalem illa nervorum mollities, ut quâ ratione indurescunt nervi, eâ imminuatur vita & accedat senectus. Undenam enim potiùs repetenda senectus, nisi ex rigiditate & callositate, ut ità dicam, quam vasa sibi comparant ab impulsione fluidorum iterùm & iterùm repetitâ? Vitalis sanè motus longè citiùs decresceret & fatisceret, nisi prudenti naturæ consilio, mucagine vasa intùs oblinirentur. Non minùs ab inertia defenduntur, dùm stimulantiores evadunt corporis humores, quâ proportionè imminuitur papillarum sensibilitas: tunc enim oblitteratis pro parte vasis depuratoriiis, diutiùs intra vasa remanent liquida; hinc major illorum activitas. Maximâ igitur curâ cavendum est ne vividius afficiantur hæc organa; ut enim visus lumine vividiori, auditus sono acutiori læduntur, immò sæpè destruuntur, sic sanitas pessumruit quando fluida vividius applicantur solidis; sic qui liquoribus ardentibus nimium indulgent, præmaturam accersunt senectutem.

(a) Zimmermann. Differtat. de Irritabilitate.

I V.

VASORUM sensilitas est illorum ad sensum habilitas: excessu vel defectu potest depravari; hinc duplicis capax vitii; hoc utrumque vel est congenitum vel acquisitum; priùs, tempera-

mentum ; posterius verò ; morbum constituit : si temperamentum , ad totum corpus pertinet ; si verò morbus , vel totum corpus vel peculiarem tantummodò partem afficit. Congenitum sensilitatis vitium vel est exindè repetendum , quòd papillæ nerveæ nimis prominent , vel nimis deprimantur ; majorem enim vel minorem indè deducunt corporis sensilitatem , omnes Physiologi. Inquilinæ verò sensilitatis duplici de causâ acquiritur depravatio ; una interna , quæ intra vasa , altera externa , quæ extra vasa deprehenditur ; internam constituit ipsiusmet sensationis objecti vitium , fluidorum nempe ; si enim acriores vel abundantiores succi , nimix sensilitati ansam præbent ; quæ nimis obtunditur , si vappescant humores , vel copiâ deficient. Licet enim modo longè diverso agant & fluidorum indoles & illorum moles , genuinam sensilitatem depravando , æquè tamen partium lædunt temperiem ; sive enim adlit plethora , sive humorum peccet acrimonia , nimis æqualitèr partium excitatur sensilitas ; in utroque enim casu , occurrit & nimia partium tensio , & nimia fluidorum solidis applicatio ; si corrugantur solida , maximus est attritus fluidorum ad solida ; si exporrigantur vasa , magis prominent papillæ nerveæ , ac proindè fluidorum actioni suscipiendæ aptiores sunt ; ergò res redit eòdem. Pari de ratione obtunditur vel extinguitur vasorum sensilitas , sive molis defectu , sive vappiditate peccent humores ; cum enim partes sint sensiles in ratione tensionis , liquidò patet tensionis defectum , & minorem , quàm par est , liquorum copiam æquè sensilitatem obtundere , ac liquorum vappiditatem. Depravatæ verò sensilitatis causæ externæ , sunt omnia quæ nervos exterius afficere valent , ut frigus , vulnera , animi pathemata , compressio ; nervos enim commovendo , organa vitæ maximè afficiunt ; posito quod enim ex contextu nervorum conflentur vasa , minimè mirum videbitur quòd hæc illorum motibus obsequantur. Exindè in propatulo est causa motûs submuscularis , adeò conspicua in affectibus animi ; illæ autem causæ majorem sensilitatis gradum suscitant , vel illam prorsùs extinguunt , prout ipsæmet extenduntur ; si enim validissimè agant , sensilitatis ità obtunditur principium , ut prorsùs fatiscat & aboleatur solidorum oscillatio ; tunc enim liquidi nervosi præpeditur appulsus : sic ex nimia compressione , nimio frigore , vividioribus animi pathematis vita subitò corrui , vel saltem maxima urget difficultas. Exindè igitur videre est motum vitalem æqualitèr fatiscere , sive sensilitatis obtundatur principium & destruatur , sive ad partem non allabantur vel effecti liquores ad illam appellant ; patet indè ratio undè cor & alia corporis agentia sensum & motum amittant ligatis eorum nervis vel arteriis ; sic , verbi gratiâ , ligatis nervis cardiacis , cor evadit paræ-

7
lyticum, haud secus ac ligatis arteriis coronariis; in priori enim casu, destruitur sensilitatis principium; in secundo verò, causa illud principium excitans removetur.

V.

ACCEDENTE unâ ex his causâ, gravissima nobis imminent mala. Ex nimia sensilitate mobilior evadit tota nervorum compages, exquisitior fit sensus, impressiones quæ prius languide admodum corpus afficiebant, nunc moleste in idem agunt; fibræ enim vel nimiam patiuntur distensionem, & disruptionem minantur, vel corrugantur, & inde rigidiores factæ, vasa ad nimiam contractionem sollicitant; fluida nimis comprimuntur, suæ expansioni nimium renituntur vasa; hinc fluidorum solidis nimia applicatio & ingrata sensationis perceptio; ex insueto enim irritationis motu ardoris dolorisve sensu mens afficitur, quæ, vigente sanitate, vix quidquam eorum quæ in corpore peraguntur, percipere valet. Verum si diutius & intensius adaugeantur causæ solidorum irritationem adaugentes, lethalis imminet catastrophe; ex vividiori enim concussu contunduntur & abraduntur vasorum papillæ, illarumque destruitur mollities, nervosis partibus adeò necessaria, ut sua adimpleant munia, hinc vasa debilitantur, ac tandem perit eorum actio; hinc mors brevi subsequitur. Quando vehementius urgent symptomata, exinde subnascuntur pulsus durus, renitens, frequens, calor, dolor, liquorum stasis, phlogoses, tumores, abscessus, gangrænæ; exinde pariter phrenetides, pleuritides, nephritides, quorum omnium causa in nimia fibrarum contractilitate merito reponenda venit. Nec minus vitæ functionibus ritè peragendis adversatur nimis immunita vasorum contractilitas; ex illo enim vitio sobolescit solidorum laxitas, ac proinde eorum debilitas: debilius igitur contrahuntur, segnius peragitur humorum motus, lentior fit sanguinea moles, tardius & in quantitate minori secernuntur spiritus animales: nec mirum, si torpescant corporis functiones; chylus inde mutuatur labem, nec fit accurata sanguinis & cæterorum liquorum miscela, vitalis laticis elementares particulæ ab invicem sese expediunt, & in varia concreta facessunt, quæ huc & illuc appulsa, obstructions & tumores procreant; serum stagnat, undeque effluit, hinc œdema, atasarca, leucophlegmatia, hydrops & omnes morbi ab exuperantiâ feri; pariter exinde nascuntur soporosi affectus, sensuum hebetudo, humorum spontanea corruptio, & alia numero infinita ex eadem causâ,

scilicet ex imminutâ vasorum contractilitate ; quæ quidem , si conjungantur cum illis quæ prodeunt ab ejusdem contractilitatis excessu , magnam sanè incumbentium humano generi morborum partem , constituunt. Cum autem utrumque illud vitium sin ut causa , saltè ut symptoma occurrat in reliquis affectionibus præter naturam , primum est generatim concludere :

Ergò à vasorum auctâ aut imminutâ contractilitate () omnis morbus.*

(*) *Vis contractilis*, seu *contractilitas*, est partis organicæ aptitudo ad se abbreviandam, vel si eava fuerit, coarctandam. Actus ipse vocatur *contractio*, quæ si æquo major fuerit vel diuturnior, adest crethismus; si minor, audit relaxatio vel atonia. Media inter utrumque conditio, *tonus*. Porro tonus seu vis tonica est tensionis gradus in diversis corporis animati partibus, necessarius ad sua uniuscujusque munia ritè obeunda. Hinc *contractilitas* est aptitudo tantum ad status diversos suscipiendos: *tonus* verò atus est fixus ac determinatus. Præterea nervorum duntaxat vel partium nervis refertorum est *sensibilitas*, seu *sensus*; irritabilitas febris musculosis speciatim convenit; in vasis verò parum deprehenditur. *Contractilitas* autem est vasis omnibus corporis humani communis. Vox illa generica est, nil specialius designans; igitur potissimum consonat observationi & experientiæ adstruentibus vim tonicam, sensilem, irritabilem & elasticam in variis motus vasculosi phænomenis reperiit juncta simul & quasi pacto fœdere coëuntia.

DOMINI EXAMINATORES SORTITO DUCTI.

M. Joannes-Nicolaus MILLIN DE LA COURVAULT.

M. Franciscus THIERRY DE BUSSY, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, in supremo Senatu Parisiensi.

M. Joannes-Baptista-Alexander MAIGRET.

M. Benjaminus-Michaël SOLIER DE LA ROMILLAIS, Scholarum Professor.

M. Joannes-Baptista Baigneres.

M. Michaël-Franciscus DELAPLANCHE.

EX SUPREMI SENATUS ARRESTO.

Propugnabit BERNARDUS-FELIX BOURIAT, Piclavus, Doctor Medicus Monspelienensis,

In Scholis inferioribus Medicorum Parisiensium.

A. R. S. H. 1782.

A MERIDIANA AD SECUNDAM HORAM, ET A TERTIA AD QUINTAM.

PRO ACTU PUBLICO.

Typis QUILLAU Universitatis & Facultatis Medicinæ Tipographi. 1782.

